



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventvales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**  
**Antverpiae, 1664**

Promoemivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

# P A R S II.

*Respondetur dubiis qua Diuina Prouidentia  
solent opponi.*

## TRACTATVS VI.

Vniuersa propter semetipsum operatus est Do-  
minus ; impium quoque ad diem malum.  
*Proph. 16.*

*Optimè à Deo permitti peccata in hoc mundo, demon-  
stratur: ac propterea neminem iis turbari debere.*

### PRO O E M I V M.

Actenus Diuinæ Sapientiæ inscrutabiles abyssos  
contemplati sumus ; non eâ quidem fiduciâ  
quod speraremus illam mente posse complecti,  
sed ut ingentem opinionem quâ tantopere in-  
digemus, de magnâ Dei Mente concipientes,  
eius tandem Prouidentiæ acquiescamus. Jam  
verò cùm id etiam viderimus, infinitam illam scientiam necel-  
lariam planè fuisse huic orbi rectè dirigendo, duo imprimis sta-  
tui ; primò , nihil prorsus casu accidere ; deinde , capaces non  
esse nos qui de rerum eventibus iudicemus ; ac proinde id so-  
lùm nobis relinqui , vt rectè & quidem optimè omnia contin-  
gere statuamus. Hoc verò cùm iam animo fixum omnino sit,  
certè , vt ante me dixisse memini, plurimæ posthac rationes oc-  
current, quibus vt Epictetus aiebat, facilè *in omnibus Deum apud  
homines defendam*, detergamque querimonias omnes, quibus non  
rectè de Diuinâ Prouidentiâ sentientes, fucum faciunt , verita-  
tique

apud Ar-  
rian. 14.  
c. 16.

tique tenebras conantur aspergere. Ac imprimis illud quasi capitale occurrit, Dei Prouidentiā si regerentur cuncta, certè non permittenda scelera, quibus & Dei gloriæ multum detrahitur, & mundus concutitur vniuersus. Hæc petra scandalū, iis quibus statutum est ruere, sesequè præcipitare. Verùm occurrere eis placet: Diuinitatisque acturus causam, ostendam imprimis, ultimum finem quem Deus in omnibus suis spectat actionibus, esse suam Gloriam, seu Diuinitatis suæ manifestationem. Vnde secundum liquidò elucescat: nimirum optimâ ratione ductum, scelera quantumuis grauia permisisse, nullaque in re, Prouidentiæ suæ mirabilem artem præclarius ostendisse, quam cum per ipsa scelera, gloriæ suæ, imò & hominum commodis, maximæ adiicit incrementa.

## §. I.

*Inculcatur iterum, omnia à Deo bene fieri, nosque capaces non esse, qui de rerum euentibus iudicemus, aut quidquam stautamus.*

I. **M**aneat igitur illud fixum ratumque fundamentum, cui totam mentis nostræ, cogitationum, iudiciorumque machinam, tranquilla ut sit, incumbere necesse est. Primò quidem, nihil proflus in totâ naturâ rerumque serie agi, quod non Deo destinante & dirigente agatur. Idque non temere & prout casus fert, sed post infinita studia, omnibusque rectè expensis & perpenfis eum statuisse, quidquid mihi aliisque obuenit: eaque cō quō obueniunt tempore, cō locō, per eas ipsas personas accidere, mihi naturæque longè fuisse conducibilius. Quod quidem idcirco speciatim dico, quod videam, cū rem ipsam quæ nobis accidit incusare non audemus, ne Diuinæ videamur refragari voluntati, tum verò modum circumstantiasque arrodere. Si que conquerimur passim, petimusque; an tum omnino necessaria esset pluvia cum iter adornabamus? an tum omnino ægrotandum, cū religionis opera agitabamus animo? an tum morte dissoluendum matrimonium, cū res domesticæ prosperè incipiebant fluere? an tum vitæ filia incidenda filio, postquam plurimâ

*Omnia  
qua eue-  
niunt, bene  
euentre, &  
bono mo-  
do, iudicâ-  
dum est.*